

- Barones
Vesey Vnica ejus filia data fuit in matrimonium Ivoni de *Vesey* Normanno, qui filiam item unicam reliquit Beatricem, quacum Eustachius filius Ioannis Monoculi nuptias contraxit, qui religiosas ædes regnante Stephano apud *Malton & Watton* posuit. Ejus enim uxor secunda Domina fuit de *Watton*, filia Guilielmi Constabularii Cestriæ. Eustachii ex Bearrice filius Guilielmus è materno utero cæsus *Vesey* nomen sibi assumpsit & insignia, videlicet Crucem argenteam in rubeo scuto. Hic è B. filia Roberti *Estotvil* de *Knareburg* duos progenuit filios, Eustachium de *Vesey*, qui Margaretam filiam Guilielmi Regis Scotorum in uxorem accepit, & Guarinum de *Vesey* Dominum de *Knapton*. Eustachius pater erat Guilielmi, qui Ioannem sine prole defunctum, & Guilielmum rebus in Hibernia gestis clarum progenuit, qui insignia familiæ in auream parmam cum nigra Cruce commutarunt. Guilielmus vero, cum legitimus filius Ioannes in bello Wallico obiisset, Regi Edwardo nonnullas in Hibernia concessit terras, ut filius illegitimus, Guilielmus de *Kildare* dictus, paternam hæreditatem adiret, hæredemque instituit fiduciarium in usum filii Antonium *Bec* Episcopum Dunelmensem, sed parum fidum de *Alnewick, Eltham* in Cantio, & aliis terris, quas sibi intervertisse perhibetur. Filius autem hic illegitimus prælio Sterlingenfi in Scotia occubuit. Reditque titulus tandem ad *Attonorum* profapiam, cum Guarini *Vesey* unica filia Margareta enupta esset Gilberto de *Atton*. Sed de his satis superque, & paulo ante jam dictum.
- Newbor-
row. Prope hanc vallem *Neuburgus*, cui Guilielmum Neubrigensem rerum Anglicarum scriptorem doctum & diligentem debemus, nunc habitatio est familiæ claræ de *Bellafise* ex Episcopatu Dunelmensi oriundæ, & *Bellelanda* vulgo *Biland*, duo celeberrima monasteria floruerunt, quæ Rogerus *Mowbray* posuit, & dotavit. *Mowbrayorum* horum familia, si qua alia, potens, nobilis, & opulenta fuit, & latifundia amplissima cum castellis *Slingesby, Thresk*, aliisque in hoc tractu possedit. Originem hujus profapiae si quæris, uno verbo expediam. Cum Rogerus de *Mowbray* Northumbriæ Comes, & R. * *Grande-beofe*, ob perfidiam omnibus possessionibus exuti essent, Rex Henricus Primus Nigello de *Albenie* ex eadem familia, qua *Albenii* Arondellæ Comites, viro summo loco inter Normannos nato, qui Guilielmo *Ruso* ab arcu erat, maximam earum partem contulit, adeoque ditavit, ut in Anglia CXL, in Normannia CXX, *feoda militaria* teneret. Iussit etiam, ut Rogerus ejus filius *Mowbray* nomen assumeret, à quo *Mowbray* illi Nottinghamiæ Comites, & Norfolkici Duces sunt procreati. Ad hos etiam *Mowbrayos* *Gilling* castrum adjacens olim spectavit, nunc vero ad familiam illam antiquam & claram, quæ à pulchro capillitio *Fairfax*, id est, *Pulchricoma*, nomen accepit, *Fax* enim priscis Anglis crines vel capillos denotat, unde illi Cometam, sive stellam crinitam *Faxed starre*, ut locum, de quo ante dixi, *Haly-fax*, à sacris crinibus vocarunt.
- Faxed
starre. Deinde ad Austrum *Calaterium nemus*, vulgo *The Forest of Galtres*, subjacet, arboribus alicubi opacum, alicubi uliginosa planitie madescens: hodie equorum solenni cursu, in quo victori
- equo campanula aurea præmio proponitur, celeberrimum. Vix enim credibile, quanta hominum multitudo ad hæc certamina undique confluat, & quantis depositis pignoribus de equorum velocitate concertetur. In hoc nemore *Creac* cernitur, quod Egfridus Nordanhumbrorum Rex anno DCLXXXIII, cum tribus in circuitu milliariibus S. Cuthberto elargitus est, per quem ad Dunelmensem ecclesiam devenit. Vix quarto hinc milliari *Sherry-button* summæ elegantiae castrum à Bertramo de *Bulmer* extructum, & à Radulpho *Nevill* primo Westmorlandiæ Comite restauratum, inter nemuscula amœnissime sedet, cui vicinum est *Hinderskell* castellum constructum à Baronibus de *Greystocke*, aliis à fontium ebullientium multitudine * *Hunderd-skell* dictum.
- Sherry-
button. Post montes ad Occasum, ubi in planitiem, & lætiores campos regio denuo se explicat, *Alverton-shire*, vulgo *North-Alerton*, regiuncula *Wisko* fluviolo irrigata jacet, nomine à *North-Alverton* oppido sumpto, olim *Calperun*, quod nihil est nisi platea longior: sed nudinis boariis festo S. Bartholmæi, omnium quæ hæctenus vidi, frequentissimum. Guilielmus Rufus Rex hoc ecclesiæ Dunelmensi cum agro adjacenti donavit, cujus Episcopis plurimum debet. Castrum enim Guilielmus *Comin*, qui Dunelmensem sedem vi occupavit, construxit, nepotique suo concessit, quod nunc quodammodo disparuit, & qui subsequenti sunt episcopi, immunitates quasdam indulserunt. Libro enim Dunelmensi legitur, *Hugo de Puteaco*, *Dunelmensis episcopus, oppidum firmavit, impetrato à rege ut inter castra adulterina, quæ tunc sparsim per Angliam destrui jubebantur, hoc solum privilegium integritatis obtineret; quod Rex tamen postea mandavit everti, & solo funditus equari.* Iuxta hoc, prælium, quod vulgo de *Standardo* dicunt, factum, in quo David Scotorum Rex, qui his regionibus fere solitudinem inaudita crudelitate fecerat, tanta suorum strage in fugam coniectus erat, ut tum demum justæ iræ parentatum existimarint nostri. Vere enim hoc in bello effectum, quod Radulphus Episcopus, dum Anglos oratione ante prælium acueret, dixit, *Multitudo disciplina insolens ipsa sibi est impedimento, in prosperis ad injuriam, in adversis ad fugam.* De *Standardo* hoc prælium dictum est, eo quod Angli circa vexillum, sive *Standardum* conglobati primum Scotorum impetum exceperint, sustinuerint, eosque demum profligaverint. *Standardum* autem hoc erat, ut in antiquis libris depictum vidimus, currus ingens rotis suffultus, in quo malus eximia altitudinis infixus, in cujus summo crux eminebat, & infra crucem vexillum appendebat. Signum autem erat summæ expeditionis, & quasi sacra ara existimabatur, planeque idem quod *Carrocium* erat Italis, quod nunquam nisi cum de summa rerum ageretur, educi licuit.
- Carro-
cium. In hac etiam regiuncula, *Thresk*, vulgo *Thrusk*, memorandum est, quo olim munitissimum habuit castrum, è quo Rogerus *Mowbray* seditio nis signum sustulit, & Scotorum regem ad patriæ incendium evocavit, cum Henricus II, consilio parum sano, sibi quodammodo sepulchrum effodisset, filium æquata potestate regem designando. Sed hæc seditio sanguine demum erat restincta, & hoc castrum funditus eversum, adeo
- Equorum
decurfus
solennis.
Creac.
Hinders-
kell.
* Centum
fontes.
North-
Alverton-
shire.
Cap. 126.
1137.
Bellum de
Standard.
Hovede-
nus.
Standar-
dum.
Thresk.
- Equorum
decurfus
solennis.
Creac.
Sherry-
button.
Hinders-
kell.
* Centum
fontes.
North-
Alverton-
shire.
Cap. 126.
1137.
Bellum de
Standard.
Hovede-
nus.
Standar-
dum.
Thresk.
- The For-
est of Gal-
tres.